[illegible]

in divisorem nec ad divisoris subtractione cessandum est donec prima figura divisoris sit subtracta a prima dividendi. Quo facto aut erit aliquid residuum aut nil. Si aliquid remanet extra in tabula et illud semper erit minus divisore si recte fuerit facta operatio. Si ergo scire velis quot unitates de numero dividendo eveniat cuilibet unitati numeri divisoris, numerus denominans quotiens illud ostendit. Cum vero facta fuit talis divisio et probare velis utrum bene feceris vel non, multiplica numerum denominantem quotiens per divisorem et redibunt eedem figure quas prius habuisti si nil fuit residuum. Si vero aliquid fuit residuum tunc cum additione illius residui redibunt eedem figure. Et ita multiplicatio probat divisionem et econverso. Ut facta multiplicatione dividetur productum per divisionem multiplicantem et exibit in numero denominante quotiens figure numeri multiplicandi.

Progressio est numerorum secundum equales excessus ab unitate vel binario sumptorum aggregatio ut universorum summa compendiose habeatur. Progressionum autem alia naturalis sive continua, alia intercisa sive discontinua. Naturalis est quando incipitur ab unitate et non obmittitur aliquis numerus ut 1 2 3 4 et deinceps. Et semper numerus sequens superat precedentem in una unitate tantum. Intercisa est quando obmittitur aliquis numerus ut 1 3 5 7 9 etc. Similiter a binario potest incipere ut 2 4 6 8 10 etc. et semper numerus sequens superat precedentem in duabus unitatibus. Notandum ergo quod de progressione naturali due dantur regule. Prima est quando progressio naturalis terminatur in numerum parem per medietatem illius numeri paris multiplica numerum proximum totali superiorem. Verbi gratia 1 2 3 4 multiplica quinarium per binarium sic bis 5 et exibunt 10 summa totius progressionis. Secunda regula quando progressio naturalis terminatur in numerum imparem per maiorem portionem ipsius multiplica totalem numerum. Verbi gratia 1 2 3 4 5 multiplica quinarium per ternarium sic ter 5 et resultabit quindenarius summa totius progressionis. De progressione intercisa similiter due dantur regule. Prima quando progressio intercisa terminatur in numerum parem per medietatem eius multiplica numerum proximum medietati superiorem ut 2 4 6 multiplica quaternarium per ternarium sic ter 4 et resultabit duodenarius summa totius progressionis. Secunda regula quando progressio intercisa terminatur in numerum imparem multiplica maiorem portionem per se ipsam. Verbi gratia 1 3 5 multiplica ternarium per se sic ter 3 et erit novem seu novenarius summa totius progressionis.

Sequitur de radicum extractione et primo in numeris quadratis. Unde videndum est quid sit numerus quadratus et que sit radix numeri quadrati et quid sit radicem extrahere. Prenotanda tamen est hec divisio numerorum: alius linealis, alius superficialis, alius quadratus, alius cubicus sive solidus. Linealis est qui consideratur tantum penes processum non habito respectu ad ductionem numeri. Sic linea tantum unicam habet dimensionem scilicet longitudinem. Numerus superficialis est qui provenit ex ductu numeri in numerum. Unde dicitur superficialis quoniam duos habet numeros denotantes vel mensurantes ipsum sicut superficies duas habet dimensiones scilicet longitudinem et latitudinem. Sed quoniam numerus duci potest in numerum quia aut in se aut in alium. Et secundum quod si ducitur in se ipsum fit numerus quadratus ut binarius ductus in se constituet quaternarium. Sed binarius ductus in ternarium constituet

Vide de progressione naturali [illegible] hac [illegible] progressionis [illegible] due [illegible] medietatem [illegible] progressio [illegible] adde [illegible]